



Prot. 397/09/L

## BRATISLAVIENSIS

Sanctum Martinum Turonensem, episcopum, verum animarum pastorem qui clerum suum erudit ac reconciliavit ruricolaeque evangelizavit, clerus et christifideles archidioecesis Bratislaviensis peculiari cultu prosecuti sunt et adhuc prosequuntur.

Inde Excellentissimus Dominus Stanislav Zvolenský, Archiepiscopus Bratislaviensis, communi excipiens vota, electionem sancti Martini Turonensis, episcopi, in Patronum apud Deum archidioecesis Bratislaviensis rite approbavit. Idem vero, litteris die 15 martii 2009 datis, enixe rogat ut electio et approbatio huiusmodi, iuxta Normas de Patronis constituendis et ad normam Instructionis "de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis", n. 30, confirmetur.

Congregatio porro de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, vigore facultatum sibi a Summo Pontifice BENEDICTO XVI tributarum, attentis expositis, cum electionem et approbationem ad iuris praescriptum peractas esse constet, precibus annuit atque

### SANCTUM MARTINUM TURONENSEM, EPISCOPUM, PATRONUM APUD DEUM ARCHIDIOECESIS BRATISLAVIENSIS

confirmat, omnibus cum iuribus et liturgicis privilegiis iuxta rubricas consequentibus.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina  
Sacramentorum, die 22 octobris 2009.

*+ Antonius, Am. Llovera*  
*Præf.*

(*✗* Antonius Card. Cañizares Llovera)  
Præfectus

*+ J. Mack*  
(*✗* Iosephus Augustinus Di Noia, OP)  
Archiepiscopus a Secretis